

120

118

124

114

129

109

169

069

219

019

Ende

Anfang

109

toto enim die dormiebant, ut noctem insomnem ducere possent,
more sui jejunii. Cum autem sol occidisset et nos ad quietem
poneremus, surrexerunt Sarraceni et Halliu Trutschelmannus, in-
cipientes cantare, ululare, manducare, sicut in turribus moschea-
rum fieri solet, nec nobis aliquam quietem tribuebant, unde ego
et aliqui etiam surreximus de cumbis nostris et cum eis vigilavi-
mus, circumspicientes terram et aquam. Eadem nocte vidimus
cocodrillos, ingentes bestias de littore se in aquam praecipitantes
seque in aqua revolventes, et audivimus eos sub aqua gementes
et eructuantes. De his bestiis et aliis Nili monstris venit dicendum
in fluminis descriptione. Sarraceni, quia assueti, non curabant
nec timebant cocodrillos, sed hippopotamos Nili equos maxime
formidabant, qui nocturnis navigationibus infesti sunt navesque
evertunt.

Die XXI., quae est XI millium Virginum, illuscente aurora
cessaverunt Sarraceni a suis clamoribus et quieti ac dormitioni se
dederunt omnes, dimittentes navem solum in manu temonistae.
Sed cunctis sopore depressis etiam gubernaculi rector obdormivit,
reclinatus super temonis clavum, currebatque navis ad sortem
deorsum. Steti autem superius ad legendum horas meas et mirabar
de navis circumvolutione, quae in aqua passim rotabatur, time-
bamque ejus impletionem. Post paululum autem, dum minus
considerarem, navis cum prora impetuose in littus impegit, adeo,
quod omnes dormientes excitavit et omnes perterrituit, nullum tamen
periculum accidit, quia mollis erat terra, cui incidit navis, sed si
fuisset saxosa, comminuta fuisse in petias et nos submersi et
a cocodrillis devorati. Interea in locum venimus, ubi Nili fluvius
dividitur in duas partes et ita divisus descendunt ambae partes
longe a se, quasi per duo millaria, et tunc iterum convenient et
fit unus fluvius. Medium autem illud inter duo illa brachia est
insula una pretiosissima (**113 a**) et amoenissima, quae Delta
dicitur, quia formam Deltae litterae facit; alias autem nominant
insulam eam auream propter ejus fertilitatem in frumento, hordeo,
oleo et palmis et caeteris, sed et vinum ferret pretiosissimum,
si illi maledicti colerent vineas. Sed Dominus hoc potu eos pri-
vavit ex demeritis.

Haec insula semper cedit in dotem principali uxori regis Sol-
dani, de qua habet annum censem ultra LXX millia ducatorum,

